Harvard Medical Library
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

Wm McMichael Woodworth.

Gift of
Frederic T. Lewis, M.D.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/dissertatioinaug00herd

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

NATIVO PROLAPSV VESICAE VRINARIAE INVERSAE IN PVELLA OBSERVATO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE

ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

IVRIBVS ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. XIX. MARTII cIↃIↃCCLXXXVI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GVILIELMVS GODOFREDVS HERDER

BÜCKEBVRGO-GVESTPHALVS

SOCIETATIS PHYSICAE IENENSIS SODALIS

CVM TABVLA AENEA.

IENAE LITTERIS MAVKIANIS.

HARVARD COLL. : LIBRARY
BEQUEST OF
WILLIAM McMICHAEL WOODWORTH
FEB. 19, 1915.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCI SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE COMITI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE CET.

PATRIAE PATRI OPTIMO

BONARVM ARTIVM OMNISQVE DOCTRINAE SOLIDIORIS

STATORI OPTIMO MAXIMO

DOMINO CLEMENTISSIMO

HOC QVICQVID EST LIBELLI ACADEMICI SACRVM

ESSE CVPIT

DEVOTISSIMVS

GVILIELMVS GODOFREDVS HERDER.

LECTORI.

Contigit mihi, cum iuſſu Serenissimi Dvcis *noſtri clementiſſimi mater cum filia aegrota in inſtituto clinico ſe ſiſteret, quod ſub Illuſtris* Stark *auſpiciis floret, auxilii petendi gratia, caſum, quem in diſſertatione deſcripſi, notatu digniſſimum et videre, et accuratius obſervare. Cui autem praeceptori ac fautori ſumme venerando, qui morbum hunc rarum mihi deſcribendum et diſſertatione inaugurali promulgandum benevole commiſit, ut publice tanta pro humanitate ceterisque, quae domicilio ſuo fructus ſum, humanitatis documentis gratias agam ſincerrimas, pietas poſtulat.*

Quod ad ipſam diſſertationis materiam attinet, non, niſi morbum, duce natura, accurate deſcripſi, pro virium facultate explicavi, et quaenam adhibita ſit medela, breviter expoſui. Delineationem machinae, in calce libelli deſcriptae, quam Illuſtris Stark *ſua ex inventione cum receptaculo elaſtico componi curavit, proxime in l. Archiv der Geburtshülfe cet. editum iri ſpero. De partis ipſius deformatae delineatione, hanc a me ſub auſpiciis* W. Waitzii, *qui quoque tabulam*

aeneam

aeneam inſculpſit, artificis Vinarienſis hac in re periti, curatam eſſe, praemoneo. Eadem fere, ac in rerum natura, in tabula delineata et depicta eſt forma et magnitudo infantis, quae reſupina, ut partes genitales occultae rectius conſpicerentur, inter pingendum iacuit. Omnia denique ad naturam ducem diligente et accurato ſtylo ſunt expreſſa.

Nihil autem nunc magis in votis eſt, quam ut opella haec iuvenilis, quae ſpecimen iure vocari meretur, arbitris aequis ac eruditis non plane displiceat. Omnibus de re graviter iudicantibus in promptu ac perſuaſum eſſe debet, iuvenem, qui curſum academicum, literis medicis ediſcendis, eheu perbrevem! deſtinatum, feliciter abſolvit, primitias artis tantum libaſſe, nec hanc ipſam funditus hauſiſſe. Latent artis noſtrae penetralia, quibus ſero demum inſpicere omnes, qui ſub arte medica incanuerunt, lubenter ſatentur. Faxit fortuna! Jam, LECTOR, *vale ac fave.*

INTRO-

DE
NATIVO PROLAPSV
VESICAE VRINARIAE INVERSAE
IN
PVELLA OBSERVATO.

INTRODUCTIO.

Non dubito, quin cuique naturae humanae indagatori prudenti et ſatis accurato in aprico ſit, quantum ex doctrina de monſtris ſeu de partibus ſingulis monſtroſis in doctrinam caligine adhuc ſuperfuſam, quae in generatione, formatione et nutritione foetus verſatur, rite dilucidandam redundare queant fructus. Natura enim ubi recta via, quae eius fabrica et natura, qui eius uſus ſit, dextre inquiri et revelari nequit, certe in aberrationibus quam diligentiſſime inveſtiganda eſt. Id quod ex hiſtoria phyſiologiae totius corporis humani ſatis ſuperque comprobatur, quae demum ex pathologia aucta in luce clariore poſita eſt. Sed ipſa doctrina de foetibus monſtroſis eorumque hiſtoria fere rudis adhuc indigeſtaque moles eſt, quae manu artificiali ordinari et formari meretur. Quod ut rite perficiatur et ad quandam ἀσφάλειαν demum deducatur, in ſingulis *a*) exemplis narrandis, explican-

a) Fecit hoc illuſtr. Soemmering in libro, Abbildungen und Beſchreibungen einiger Miſsgeburten. m. Kupf. Mainz 1791. Fol. ſed qua ratione ſcribi debeat monſtrologia, ſtrictim et carptim docuit Perill. Grvner Almanach für Aerzte. 1795. p. 91. ceteros de monſtris ſcriptores collectos invenies in Cl. Ploucqueti Bibliothec. med. T. V. ſub artic. *Monſtrum.*

plicandis et dilucidandis initium faciendum eſt. Liceat mihi ergo *hiſtoriae ſoetuum monſtroſorum* illuſtrandae cauſſa haud poenitendum exemplum in medium proferre, in quo narrando et explicando vires ingenii perexiguas periclitabor. Pertinet vero ad *nativos morbos ſoetus externos*, qui ſpeciem monſtroſam mentiuntur, iam pluries obſervatos. Contigit aliis eſſe tam felicibus, ut ſingularia vitioſae originis portenta viderent, contigit et mihi, neque hoc, quo minus promulgarem, me impedivit. Etenim plura morbi rarioris et obſcurioris exempla diagnoſin demum certam reddunt, naturam morbi illuſtrant, originem cauſſae oſtendunt, ac ad leges naturae, quae ſemper vel ad devia delata ad normam quandam a legibus naturalibus aberrat, ulterius ſtabiliendas aliasque conſiderationes pro arte medicinali amplificanda inſtituendas anſam praebent vberrimam.

Morbi deſcriptio.

§. 1.

Puella, de cuius morbo nunc agam, duos et quod excurrit annos nata, optima forma praedita ac gratis faciei lineamentis inſtructa, in conſpectum omnium delata fuit. Vix quisque ſpectatorum hancce puellam, cui malae rubore ſuffuſae, oculi clari ac lucidi, frons hilaris ac totum bona nutritione ac pinguedine nitens corpus videbatur, vitio quodam tetro et nativo vexari, mente ſua opinatus eſt. Sed in latebris latuit hoſtis, ſub integumentis vulvae proximis forma monſtroſa, adſpectu foeda et horrida. Veſtimentis revolutis, abdomen utrimque propenſum videbatur. (Tab. a.)

§. 2.

§. 2.

Nullum in regione umbilicali umbilici veſtigium, neque plicae, vel rugae inventum eſt. Sed plane caruiſſe puellam eo loco, ubi funiculus umbilicalis ſeſe ſolet in ventrem quaſi demittere ac inſerere, neque via rationali demonſtrari, neque veritate comprobari potuit, mater autem monſtravit inſertionis locum, qui in media parte inferiori regionis hypogaſtricae, ſtatim ſupra tumorem modo deſcribendum, in plica quadam transverſali, ovali, duriuscula, cicatricem referente, inſtar fabae formata, lineas ſex vel octo complexa, cernebatur. (Tab. b.)

§. 3.

Jam infra deſcriptam umbilici cicatricem, ubi regio hypogaſtrica in regionem pubis abit, tumor quidam inſolitus prominere incepit, rotundus, ſed inaequalis, longitudine ſesquidigitalis, latitudine duo digitos aequans, octo vel decem lineas altus, qui ſpeciem maſſae carnoſae, crudae, fungoſae ac excoriatae prae ſe tulit. (Tab. c.) In parte eius ſuperiori tres ſupereminebant cuſpides obtuſae velutique gibbae, quae ſuperficiem minus planam, ſed inaequalem et aſperam reddebant. Quibus acceſſerunt excreſcentiae parvae carnoſae, tanquam papillae minutulae ſeu vulnerum granulationes, quae et interſtitia inter gibbera explebant, et totam reliquam ſuperficiem obſidebant adeo, ut tumori ſpeciem iſtam fungoſam redderent.

§. 4.

Ab utroque latere et inferiori parte tumoris oblique deſcendebant invicem in medium baſis vergentes duae carunculae carnoſae,

 papil-

papilliformes, (Tab. dd) capitulis obtuſis, rotundis, libere prominentibus praeditae, in quibus fiſſura quaedam parva lineae unius oblique ſecundum carunculae ſitum aſcendentem cernebatur, ex qua utraque lotium, quod odor docuit ſpecificus, ſemper deſtillavit. Margines tumoris cum integumentis abdominis communibus bene cohaeſerunt, ita, ut a parte ſuperiori quaſi in illam tranſire, ab utroque autem latere plicis rugoſis coalitae viderentur. Superficies tota madida ac nitida fuit, parte ſuprema excepta, quae tenera epidermide ſuperducta viſa eſt.

§. 5.

Si corpus puellae ſtatu erecto aut ſaltem minus reclinato eſſet, nihil amplius praeter iſtum tumorem cernere licuit, ſi modo excipias tumores oblongos adipoſos, (Tab. ee.) integumentis communibus tectos, ex utroque inguine verſus genitalia deſcendentes et in glutaeos abeuntes, ut, tanquam labia craſſa, inter femora dependerent. Si vero corpore bene reclinato ac ſupino erat, regio ſacra pulvinari fulcita et elevata et femora diſtenta, partes genitales difformes apparuerunt.

§. 6.

Labia pudendorum *maiora* (Tab. ff.) tumore per oſſa pubis irruente longe diſtenta fuerunt, ita, ut commiſſura nec ſuperior, nec inferior adeſſet. Juxta partem utramque inferiorem tumoris, qui labiis incubuit, atque levem impreſſionem reliquit, in integumenta communia tranſibant, et tunc oblique deſcendebant. Figura, a naturali valde diverſa, oblonga fuit, fere cylindracea, erucae ſimilis, in margine convexo externo plures viſae ſunt rugae integumento-

rum

rum, quae inſtar inciſionum in plures partes dividere videbantur labia. In infima parte, ubi alias commiſſura inferior et frenulum iungere ſolent labia, plane nullus adfuit nexus, ſed labium utrumque reclinatum in conchae modum retrorſum detortae fuit.

§. 7.

Introrſum inter hanc labiorum curvaturam ſub tumore propendente ſpectatur *introitus* ad *vaginam* anguſtus, (Tab. g) foraminis ovalis formam referens, cuius in margine concavo inferiori *nodulus membranaceus* (Tab. h) videbatur, ex continuatione membranae aſcendentis et integumentorum labiorum formatus, qui vaginam quodammodo et ex parte clauſit.

§. 8.

Ceterum neque *clitoris* cum praeputio, eiusque continuatione, *nymphis*, neque orificium *urethrae* detegi diſcernique potuerunt. Nulla porro aderat *ſynchondroſis* oſſium pubis, quae ubi tactu exploraveris, hiantia inventa ſunt.

§. 9.

Perinaeum vix unum pollicem latum effecit, ut *orificium ani* (Tab. l) prorſum genitalibus propius factum et modo praeternaturali inter femora poſitum eſſet. In parte ſiniſtra, ubi in anum tranſit, plica parva et oblonga fuit, quae quidem ex integumentorum duplicatura formata, ſed fortuito nata eſſe videbatur. Ipſum ani orificium valde rugoſum et magis dilatatum fuit, quod prolapſui inteſtini recti, per niſum et clamorem infantis ſaepius protruſi, tribuendum eſſe nemo negabit.

§. 10.

Nates, cum tumoribus iſtis adipoſis ex inguine deſcendentibus coniunctae, praeter naturam ad anteriora verſae, et inter femora mirum in modum diſtantia (Tab. k) latiores et craſſiores propendebant.

§. 11.

Inceſſus puellae valde vacillans fuit, quemadmodum anates aut infantes rhachitici titubare ſolent, maxime vero nutatio ingreſſus evenit, ſi puella accelerare gradus, quod aliquo potuit modo, conata fuerit.

Diagnoſis morbi.

§. 12.

Quum iam verbis copioſe expoſuerim, quam irregularis iſta fuerit in abdomine formatio, quomodo appellandum ſit vitium, quaeſtio eſt. Signis autem et ſymptomatibus perſpectis, morbum quemcunque ſignantibus, ultro apparet, puellam *prolapſu veſicae urinariae inverſae et prava hinc orta pudendorum ſormatione* praeditam fuiſſe. Comprobari id poteſt et ſignis diagnoſticis, et ſymptomatibus, e ſitu, figura et ſtructura tumoris ſumtis, quae quidem hunc internam proprie ſuperficiem concavam poſteriorem veſicae urinariae conſtituere abunde docent.

Hiſtoria morbi.

§. 13.

Saepius hunc morbum et in infantibus, et in adultis occurriſſe, ex auctoribus ſatis intelligendum eſt, quos collegit Cl. Roose in ſua de hac

hac materia docte conſcripta diſſertatione *a*), de qua iure Soemmering *b*), iudex hac in re prae ceteris idoneus, ſe materiam, ait, iſtam fere exhauſiſſe. — Addere iſtis ſcriptoribus liceat viros clariſſimos, Baillie *c*), Soemmering *d*), Creve *e*) et Thomann *f*).

Ceterum notatu dignum videtur, plurimis in caſibus in maſculis, ſingulis tantum in *g*) femellis occurriſſe hunc morbum; Quamobrem caſus deſcriptus et in puella obſervatus, tanquam rarus et ſingularis, vt literis conſignetur, meruiſſe mihi viſus eſt.

Natura morbi.

§. 14.

Quum, quod *h*) aliis contigit, partes praeternaturales ſcalpello anatomico percontari mihi nondum liceat, puella ſuperſtite adhuc et ſana,

a) Theodor. Georg. Aug. Roose De nativo veſicae urinariae inverſae prolapſu diſſert. inaugur. c. tab. aen. Goetting. 1793.

b) vid. Matthew Baillie, Anatomie des krankhaften Baues von einigen wichtigen Theilen im menſchlichen Körper, aus dem Engl. mit Zuſätzen von *Sömmering.* Berlin 1794. p. 189. not. 399.

c) In medical and chirurgical transactions p. 189. et libr. mod. cit.

d) Libr. cit.

e) Carl Caspar Creve von den Krankheiten des weiblichen Beckens. Berl. 1795. 4. p. 125. ſq.

f) Zwey Beobachtungen von einer widernatürlichen Beſchaffenheit der Harnblaſe und der Zeugungstheile, in *Hartenkeil* Ephemeridibus medico-chirurg. Salisburg. ann. 1795. Vol. III. p. 321. ſ. c. tab.

g) Obſervarunt in femellis Huxham et Olivier in Philoſophical transactions Vol. XXXII. et Roose l. c. p. 17, et 30. Soemmering l. c. Creve l. c. qui caſus duo, alterum in femina, alterum in infante obſervatum, a D. Brunnero ſecum communicatos deſcripſit.

h) Sectiones anatomicas collegit Roose, de phyſiologia parum dixit.

ſana. Silentio mihi ergo praetereunda eſt fabrica et ſtructura partium interna, et ſtatim me accingo ad morbi huius naturam curatius eruendam, qualem ſe oculis ſpectandam praebuit, res phyſiologicas hic obvias conſiderandas et explicandas, et ſingularitatem varietatemque, memoratu prae ceteris dignam, paucis demonſtrandam.

§. 15.

Ab ipſa ergo *veſica* prolapſa inverſaque incipiam, quae, quoad *magnitudinem*, talis erat, qualis plerumque in caſibus ſimilibus, ſi modo in aetatem aegri variam reſpicias, viſa eſt, quoad *figuram*, paullulum quidem diverſa fuit, quam tamen in ſexus formatione aegraeque aetate tenera, item in aliis rebus fortuitis cum maxime quaerendam eſſe arbitror. Partes enim vicinae genitales figuram veſicae protruſae aliter in ſexu ſequiori, aliter in potiori commutent neceſſe eſt, quod ex *a*) picturis quoque ſatis bene conſtat. Semperne figuram talem in ſexu ſequiori induat veſica, nec ne, exemplis demonſtrare nequeo, quum notae mihi nullae ſint picturae praeter illam *b*) *Crevianam*, quae a mea varie deflectit, nec ratione ſatis expandi videtur.

Qui in omnibus huiusmodi exemplis conſentire videtur noſtro, *color* rubicundus, interdum ſublividus, granulationibus in abſceſſibus haud abſimilis fuit, qualis ſemper faciei internae veſicae urinariae, fibris muſcularibus exſtructae, multis vaſis ſanguiferis gaudentis,

a) Vid. pictura apud Roose l. c. apud Cl. Bonn in libr. Ueber eine ſeltene und widernatürliche Beſchaffenheit der Harnblaſe und Geburtstheile eines zwölfjährigen Knaben. Aus d. Holländ. von Arntz. 1782. 8. item apud Thomann. l. c.

b) Libr. cit. Utinam vidiſſem, quas Soemmering celebrat delineationes, ex feminino quoque exemplo deſumtas.

tis proprius reperitur, rubrior vero color, quin vaſa ita intumuerunt ſanguifera, ut per anaſtomoſin ſanguinem effunderent, ſi quando puella clamaret, impatiens ſeſe hinc inde iactaret, et magno niſu ageret.

§. 16.

Quod ad carunculas papilliformes (Tab. d d) in utroque veſicae prolapſae latere inferiori ſitas attinet, pro *uretheribus* oblique inſertis habendas eſſe, nulla mihi ſupereſt controverſia. Urether dexter paullum altior ſiniſtro ſitus videbatur, ex utroque vero guttatim manavit urina pari modo, ut neque alter maiorem, alter minorem profunderet copiam *a*). Attamen ſilentio non plane praetereunda eſt ratio, qua iſta fiebat lotii deſtillatio, utpote non ſemper et ubivis eadem. Si puella tranquilla et placata erat, guttatim tantum deſtillavit urina, ſin vero paullo inquietior clamabat, et preſſione contrahebat musculos abdominis, in arcu et filo non tam tenui profiluit, ac inſpicienti obſervatori pluviam comminata eſt. Quam quidem rem cum non in omnibus eiusmodi caſibus obſervatam, niſi apud cl. Bonn *b*) et Creve *c*) legerem, notatu et memoratu digna mihi et ex cauſa peculiari orta, et conſiderationem paullum accuratiorem mereri viſa eſt.

Natura morbi ſatis docet, urinam ex uretheribus, cavitati veſicae internae inſertis, per inverſionem autem exteriorum formam indutis

a) Cl. Roose p. 38 ex urethere ſiniſtro maiorem, quam ex dextro urinae copiam profluxiſſe obſervavit.

b) l. c.

c) l. c.

indutis non, niſi guttatim manare poſſe, cum cavum veſicae, ut receptaculum, in quo colligi urina et collecta per contractiones musculares iterum protrudi poſſit, prorſum abeſſet. Jam autem ſequitur, ut urina, ſi quando vi et copia quadam proſiliat, receptaculo quodam collectam indeque per citatas contractiones eiectam fuiſſe perhibeatur. Sed quo in loco colligatur urina, iterum quaeritur. Fuerunt, qui veſiculam peculiarem, in quam deſlueret, et collecta reſideret urina, paullo liberalius et ex coniectura aſſumerent, ut Huxham *a*), Littre *b*), alii. Sed ab his caſibus ſpecialioribus ad communia velle concludere, vix ullis logicis demonſtrari poterit argumentis. Cui et illud accedit, quod urina manifeſte ex uretheribus proſluat, nullo alio ergo loco, quam ipſis et ſolis uretheribus accumuletur neceſſe eſt. Magna cum probabilitate hinc opinari licet, uretheres, quoad ſtructuram, a ſtatu naturali paullulum discedere, et in parte inferiori ante ipſam inſertionem ampliores magisque dilatatos eſſe, et receptacula membranacea veluti repraeſentaſſe, ex quibus, ſi paullo maior acceſſerit irritatio, maiori etiam vi profundi poteſt urina ſenſim pedetentimque collecta. Quam quidem ſententiam cum facile quis ex precaria enunciatione deductam eſſe queat opinari, exemplis, per anatomen indagatis, etiam fulcire ac confirmare poſſum. — Cl. Roose *c*) auctores nominat, qui uretheres anatomice obſervarunt, eosque tum amplos, tum naturales invenerunt. Praeſertim huc attinent exempla *d*)

Stal-

a) l. c. et apud Roose l. c. p. 31.

b) Memoires de l'acad. royale des ſciences. p. 9. ann. 1709. et Roose p. 24. Rectius ſaeculorum origines ab ſucceſſiva canalis amplificatione repetiit Parson Beſchreib. der Harnblaſe des Menſchen und der dahin gehörigen Theile, überſ. von Huth. Nürnb. 1759. S. 193.

c) l. c. p. 23.

d) Obſerv. rarior. medic. anatomic. chirurgic. edition. 1727. p. 359. Bonn l. c. p. 19.

Stalparti van der Wiel et Nuckii, qui uretheres naturalibus duplo triplove craſſiores repererunt. Etiam Creve *a*), in explicatione urinae ex uretheribus proſilientis item caſus a D. Brunner communicati occupatus, id ſolum meatuum motui per clamorem aucto attribuere vult, hic vero, ſi quid valet in mutando augendoque ambitu, ut cauſa occaſionalis, in urinam loco ſuo iam accumulatam agens, conſiderandus mihi eſſe videtur, nec ullus vero dicet per cauſam ſolam occaſionalem phaenomenon iſtud poſſe explicari. Ipſi denique veſicae irritabilitati, plus minusve oſtiola uretherum comprimenti, in explicatione tribuendum aliquid eſſe largior.

§. 17.

Tranſeo ad aliam in conſiderando morbo mihi obviam quaeſtionem, an urina per ſolos uretheres aut alias vias adhuc incognitas, ut nonnulli *b*) ſibi perſuaſerunt, in veſicam perveniat. Cui quidem opinioni primo adſpectu facile quis accedere potuit, cum tota ſuperficies veſicae inverſae madida et humore quodam ſuperinducta fuit, attamen poſt accuratam indagationem ſatis apparuit, humorem iſtum nequaquam urinam, ſed mucum eſſe, ex glandulis, quibus ſuperſperſa facies veſicae interna eſt, ſecretum et ad lubricandas partes et tuendas deſtinatum, ab *c*) aliis auctoribus ſemper obſervatum. Sed

 rem

a) l. c. p. 127—128.

b) Maxime hanc opinionem defenderunt Kratzenstein in theoria fluxus diabetici, Hal. 1746. 4. Prochaska in diſſ. inaug. med. de urinis. Vindob. 1786. 8. Darwin in Zoonomia. — Tom. II. verſionis Cl. Brandis. Hannover 1795. 8. Thilow in Anatom. patholog. Abhandl. von den Nieren, die keine Harnleiter hatten. c. fig. Erf. 1794. 4.

c) Roose. §. 3. §. 38. Baillie p. 189.

rem praeterire nequeo, quae facile ad falſam opinionem adſumendam anſam dediſſet. Mihi partes illas obiter perluſtranti ex papillula tertia, infra uretheres ſita, urina quoque promanare ſub initio viſa eſt, quin et contendere id ſpectatores voluerunt plures. Parum abfuit, quin pro ſingularitate peculiari et forſan pro argumento, ut plures urinae deferendae aſſumantur viae, haberetur. Sed, accuratiori inſtituta exploratione, de qua iam, ne minutis teneri videar, ſileo, ſatis quidem innotuit, illam ex infima papilla ſtillationem urinae, quae ex uretheribus delapſa illic accumulata, nec expulſa erat, opticam tantum fraudem fuiſſe, quod inſuper, quia papillula iſta evanuit tempore aliquo praeterlapſo, luculentius comprobatur. Neutiquam ergo in tabula depictam invenies. Inde vero maxima cum probabilitate, nulla alia via in *a*) ſtatu naturali viſa, ſolos uretheres urinam in veſicam deferre poſſe, colligi poteſt.

§. 18.

Praeter memoratas in veſica prolapſa inverſaque oculis obſervandas mutationes, iam reſtant aliae ſenſu perceptae.

Super-

a) Sententiae lectoris diiudicandum relinquo, utrum phaenomena „in excretione urinae interdum obvia et praeternaturalia, quae ex ſecretione per renes difficilius explicari videntur, cum Darwino l. c. Vol. II. Sect. XXIX. ab motu antiperiſtaltico vaſorum lymphaticorum, an ab praeternaturali urinae ex renibus ſecretione alterato, explicari poſſint. Ego vero moneo tantum, ſi motus antiperiſtalticus adeſſet, veſica urinaria ſemper et continuo madida eſſe deberet. Hinc etiam elucet, ſententiam eorum mancam et vacillantem eſſe, qui opinentur, urinam pervenire in veſicam per alias et novas vias, quam per uretheres poſſe. Exemplum non ſolum noſtrum diſtinctiſſimum, ſed reliquorum etiam huius rei obſervatorum luculentiſſime eam coniecturam refutat.

Superficies, ſi tactu inveſtigabatur, mollis, tenera, ſpongioſa ac glutinoſa inventa eſt, magis autem parte inferiori et media, quam ſuperiori, cui tenerrima epidermis erat ſuperinducta. Cum iſta vero mollitie maxima coniuncta erat ſenſibilitas, quae quidem, ſi vel tanta, cum nervis ſatis exſtructa tunica interna ſit, ſtatu naturali non eſſet, tamen ab aere irritante et urina acriori deſluente, magnopere adaugeri potuit, ita quidem, ut nonnunquam parietes adiacentes ſimul corroſae et dolore affectae ſeſe oſtenderent. Abhorruit infans a tactu, et in ambulando tali corporis rectione, ut veſica inter femora dependeret, attritum veſtimentorum evitare optime ſcivit. Semper hanc in prolapſu veſicae urinariae inverſae occurrere ſenſibilitatem, res et *a*) exemplorum ſeries docet.

§. 19.

Venio ad nexum veſicae inverſae cum partibus vicinis accuratius deſcribendum. Jam ſupra (§. 4.) dixi, bene cum integumentis vicinis coalitam fuiſſe veſicam, nec, ut in aliis exemplis, libere prolapſam. Veſica neque ultro receſſit, ſi puella ſupina iacebat, neque reprimi, nec in cavum abdominis reponi potuit, neque tuſſi aut niſu corporis vehementi magis proſiluit *b*). In iſto caſu, quem Cl. Bonn *c*) deſcripſit, idem ac in praeſente, parva variatione excepta, fuiſſe videtur. Manifeſte

a) Vid. auctores laudatos - praeſertim Bonn p. 33. et Roose §. 3.

b) Quod in caſu a cl. Roose deſcripto fuit. l. c. §. 3. et 49. Buxdorf in Act. Helvet. Vol. VII. Baſil. 1772. p. 105.

c) l. c. p. 33. verba ſunt „Die Verlängerung der Haut, wo die Nabelſchnur geſeſſen hat, lief und ging in die Oberfläche der Geſchwulſt über. Unter dieſem Nabel ſchienen die Bauchbedeckungen gleichſam zurückgezogen, und machten eine eingeſunkene Vertiefung, aus welcher die Geſchwulſt hervor ging."

nifeſte autem ex plicis a me accuratius inquiſitis, veſicam circumdantibus animadvertere licuit, concretionem iſtam cum integumentis abdominis ſerius factam, praeternaturalem prolongationem ergo integumentorum communium in ſuperficiem veſicae ſpecioſam, nec ſatis veram eſſe.

§. 20.

Neceſſaria ſequela, quam inverſio nativa et prolapſus veſicae urinariae ſecum ducere ſolet, in *mala partium genitalium conformatione* poſita eſt. Perluſtres exempla, nec ullum, quod contrariam opinionem probet, invenies. Partes naturales, hac in puella difformes, ſuperius iam expoſitae ſunt, cui hic addere tantum licet parvam cum aliis ad foeminas pertinentibus caſibus ſimilitudinem.

Ut violenta iſta labiorum maiorum divulſio et diſtantia cum ſitu obliquo eveniat, neceſſe mihi videtur, ut

a) Oſſa pubis, quibus annexa ſunt labia, inter ſe diſtent.

b) Veſica prolapſa iſtam divulſionem augeat et ſuſtineat.

c) Exempla *a*) in aliis eandem rem doceant.

Curvatura conchiformis in inferiori labiorum parte peculiaris nec *b*) alibi obſervata eſt.

Abſentiam clitoridis, praeputii cum *c*) nymphis, et urethrae diſceſſui oſſium pelvis quoque adſcribendum eſſe luculenter apparet, quum

a) Creve in l. c. Tab. IX. p. 125.

b) In Crevii delineatione labia minima, tanquam lobuli, conſpicua ſunt.

c) Inferior nympharum pars vel ſimul deſtructa, vel cum interna labiorum maiorum parte, ut plane evanesceret, coalita erat.

quum corpora clitoridis cavernoſa ex ramo aſcendente oſſis iſchii originem ducant, quae ab oſſibus dilatatis divulſa, ipſam clitoridis fiſſuram, quae nec amplius inde formari, nec, veſica irruente, veſtigia relinquere potuit, produxerunt. Idem cum *urethra* accidit, quae cum parte veſicae anteriore, per quam tunc interna prolabi potuit, facies ſimul dilacerata et deſtructa eſt *a*).

Introitus ad vaginam (Tab. g) ſub veſica prominente reconditus admodum anguſtus, quod quidem partium pravae formationi et maiori membranarum tenſioni et expanſioni tribuendum eſſe puto. Idem in Crevii delineatione cernitur, idemque ſe obſervaſſe narrant Huxham et Oliver *b*). Vagina ipſa, quam ſpecillo accurato percontatus ſum, perfecta interne conformata, nec rupta fuit.

Nodulum papilloſum (Tab. h) ſupra deſcriptum et in vaginam ſpectantem ex membranis ſatis firmis aſcendentem, nullibi deſcriptum inveni. Mihi pro hymene, quod, partibus ceteris conformatione alienatis, vagina coarctata, aliam quoque ac magis papilloſam corrugatam induit formam, habendum videtur.

Frenulum et foſſa navicularis ob labia divulſa et reclinata abfuerunt. Nihil, niſi membrana firma, a foramine vaginae et hymene deſcendens et in perinaeum tranſeuns, cernitur.

§. 21.

Cauſa, cur nates ad anteriora ita protruſas, perinaeum inde diminutum vides, ſola in nimia pelvis amplitudine indeque exorta diſtantia inter

a) De partibus hiſce deficientibus plane nihil agit Creve, quanquam in tabula abſentes videantur.

b) l. c. et apud Roose §. 30. f.)

inter femora latiori, neque vero in veſicae prolapſu quaerenda eſt. Eadem ex cauſa ingreſſum infantis nutantem naſci, verbis uberius demonſtrare non licet, quum ſemper cum ſeiunctione oſſium pubis coniunctus obſervatus ſit. Docent exempla nativa et, ut in ſectione oſſium pubis artificiali docetur, per *a*) artem obſtetriciam facta. Difficilicer enim, ſi pedes praeter naturam diſtant, aequilibrium corporis ſuſtinendum eſt, propterea quod pondere ſuo inter ambulandum in quovis quieſcat pede progreſſo. Pedes ſi propiores ſibimet facti ſint, minus e ſitu perpendiculari vertitur corporis truncus, quam pedibus nimis diſtantibus, ubi hinc inde iactatur. Hinc hominibus obeſis, qui pedes propter ventrem propenſum magis a ſe invicem divergere coacti ſunt, fere idem eſt inceſſus.

§. 22.

Memoratu adhuc non plane indignus obſervatus *ani prolapſus* et toti partium conformationi conſentaneus mihi eſſe videtur. Inter clamorem, niſum magnum, tuſſim et alvi exonerandae conamen inteſtini recti pars, pollicis unius ſaepe excedens magnitudinem, ex ano prolabebatur: Id quod evenire quoque ſolebat, ſi puella concoctione mala laboravit, ſi cibos crudos et difficilius concoquendos, quales fructus ſolani tuberoſi vel globi ex farina compacti ſunt, avide devoravit. Cauſa facile invenienda et inquirenda eſt. Nam inteſtina per motum periſtalticum auctum vehementius commota, quum nullam, quae impreſſioni reſiſtere poſſet, ſymphyſin oſſium pubis invenirent, ad inferiora magis tendere, quin inteſtinum rectum protrudere oportuit.

Cauſae

a) Adi ſcriptores de ſectione ſynchondroſeos oſſium pubis agentes, et exempla, ubi hiatus oſſium remanſit. cf. Scheyring De ſect. oſſ. pub., Friburg. 1778. p. 66.

Cauſae et origo morbi.

§. 23.

Hucusque quidem naturam morbi ex ſignis variisque mutationibus coniunctis et clare diſtinguendis, facilius explicare atque ex fonte ipſo derivare potui; ſed iam in regionem incognitam delabor, ubi caligant oculi, nec niſi ratio et legibus naturae fundata hypotheſis, ſi caute ac prudenter applicetur, facem praeferre, tenebrasque discutere poteſt. Certi quid neque ſtatuam, neque ſtatuere poſſum. Satis mihi erit ſecundum ſpeciminis inauguralis praecepta ſtrictim ac breviter ſignificare, me de re iſta dubia et mira cogitaſſe, eamque animo quam diligentiſſime perpendiſſe. Si vero quicquam ad rem dilucidandam conferre poſſim, maxime laetabor.

§. 24.

De cauſis veſicae urinariae prolapſae et inverſae Cl. Roose et Creve, nuper praematura morte defunctus, ſcriptis ſuis copioſius, egerunt. Uterque vidit difficultates, quibus dilucidatio morbi huius nativi vera premitur. Ego vero in tanta rei obſcuritate haud temere in explicando morbo non ad unam, ſed ad plures reſpiciendum eſſe cauſas exiſtimo id eſt, ad cauſam *praediſponentem*, *occaſionalem* et ex hisce productam *proximam*, quae tunc morbum ipſum gignere potuit.

§. 25.

Cauſam proximam ſiſtit Cl. Roose *a*) in „*prolapſu veſicae urinariae* „*inverſae cum praeternaturali oſſium pubis et partium genitalium for-* „*matione*

a) l. c. p. 39. §. 43.

„*matione.*" Sed quis non videt hac in definitione *morbum ipſum*, nec *cauſam*, quae iſtum demum effecit, deſcriptam eſſe? Prolapſum quisque videt, ſed ſcire etiam avet, unde demum iſte natus factusque ſit.

Si ſub *a*) cauſa proxima effectus ex cauſa occaſionali in praediſponentem operanti intelligatur, tunc unicam huius morbi veſicae ſtatuere cauſam proximam rei non conſentaneum mihi videtur, propterea quod morbus, ceu effectus, complicatus ſit, tum in *prolapſu*, tum in *inverſione* veſicae poſitus, uterque vero peculiarem ſecum ducit cauſam proximam, niſi et ipſa pelvis amplitudo aliquid contuliſſe videatur. Altera quidem, me iudice, *prolapſus* veſicae, in *hiatu oſſium pubis* mihi quaerenda, altera *inverſionis* in *ruptione veſicae anterioris partis et urethrae* ponenda eſt. Utraque coniunctim, nec vero ſeorſim

a) Valde eſſe optandum, ut doctrina de cauſis in arte medica tandem aliquando ita dilucidetur, eorumque appellationes ita firmae fiant, ut omnis de hac re dubitatio et controverſia componatur. Quid enim tyroni artis medicae agendum eſt, ſi praeceptores et ſcriptores graves tali in re inter ſe diſſident, cuius in veritate ac certitudine aegritudo aut ſalus aegrorum curandorum unice poſita eſt. Nomina et diſcrimina inter cauſas ſaepe tam diverſa et ſubtilia fiunt, ut tot pro cauſis nulla vera relinquatur. Cl. Roose cauſam efficientem ab occaſionali et cauſa proxima diſcernit. Sed iterum quaero, annon morbus ipſe ex cauſa proxima efficiatur? Plerumque cauſa proxima et morbus ipſe, ſeu quod vulgo eſſentiale morbi appellare ſolent, pro uno eodemque habetur. Sed unde morbus ipſe, qui effectus eſt, cum cauſa eiusdem pro uno eodemque haberi poteſt? Morbus quatenus totum conſtituit, ipſe cauſa, id eſt, pars, appellari nequit, niſi novos producat effectus, quod quidem ſi ad ſymptomata morbi reſpicias fieri ſolet, quae vero morbum ipſum non conſtituunt, ſed nomen tantum eius. Hinc apparet, ſi ad cauſam proximam morbi ipſius reſpicias, ſaepe eandem eſſe, quae cauſa occaſionalis alias dicitur, quae vero, tanquam effectus, demum ex cauſa occaſionali propria, in praediſponentem agente, conſideranda mihi videtur. Sed uberius rem explicandi hic nec locus eſt, nec tempus.

ſim morbum deſcriptum producere potuit. Plerumque autem ambo coniuncti occurrunt, exemplis clare docentibus, quia, ſi quando hiatus in oſſibus pubis fuerit, ſimul ruptio veſicae anterioris partis apte cum iſtis concretae ſequatur neceſſe eſt. In illo caſu, ubi leviſſima, quin nulla eſt veſicae cum oſſibus pubis agglutinatio, ſolus ab oſſibus ſecedentibus evenire poteſt prolapſus. Rariſſime, et quidem ab ſolo ill. Waltero *a*), obſervatum eſt, veſicam ne prolapſam quidem, ſed ligamento transverſali rotundo retentam fuiſſe.

Hiatum oſſium pubis revera cauſam eſſe prolapſus veſicae, tum ex ratione, ſublata oſſium reſiſtentia, apparet, tum ex omnibus hucusque obſervatis caſibus, quorum auctores recenſitos inuenies tum apud Roose, tum apud Creve, quos hic repetere nolo, ne falſam ſimulem doctrinam, vel alienam operam mihi vindicaſſe videar. Solos addere liceat ſupra iam laudatos viros, Baillie, Soemmering, Thomann *b*), Blumenbach, *c*) ex quibus conſtat *d*), ruptionem veſicae anterioris partis cauſam eſſe inverſionis, per quam ruptam et dilatatam pars veſicae poſterior ab inteſtinis motis et urgentibus protruditur.

§. 26.

Cauſas praediſponentes in teneritate ac mollitie ſynchondroſeos oſſium pubis, integumentorum et veſicae foetus pono, in quas quidem partes molles ac laxas cauſa occaſionalis quaecunque facile agere poteſt.

a) De diſſectione ſynchondroſeos oſſium pubis in partu difficili, Berolin. 1782. p. 22. Roose p. 39. Creve p. 131.

b) in libris citatis.

c) Geſchichte u. Beſchreib. der Knochen. Götting. 1786. p. 320. not.

d) Baillie l. c. ſi recte eum intellexi, membranam veſicae anteriorem plane abeſſe putat: Quod vero, re ita explicata, aſſumere neceſſe non eſt.

poteſt. Ad ipſum autem morbum producendum hoc requiritur, ut cauſa praediſponens occaſioni vel eſſet aequalis, vel gradu minor, illa vehementior vel maior, illa minor. Saepius laxitatem maiorem ſolidorum in infantibus vitio hoc laborantibus inventam fuiſſe docent exempla nonnulla. Ita puella, quam *a*) Creve deſcripſit, hernia umbilicali, de laxitate fibrarum muscularium teſtante, inſuper praedita, puer autem a Thomann obſervatus, totius corporis laxitate, debilitate, diſſormitate, rhachitide, cyphoſi, ſcolioſi, lordoſi pedumque incurvatione donatus fuit. Veſtigia, quae naturali maiorem ſignificarent ſolidorum laxitatem et peculiarem cauſam praedisponentem, in caſu noſtro inquirenda non erant. Molli quidem et tenera fuit ſtructura corporis, ſed aetati ſatis apta, ceterum bona quoque valetudine gaviſa puella eſt. Quod forſan de laxitate maiori teſtari poſſit ſignum, prolapſui ano adſcribendum eſſet, cuius cauſa praediſponens etiam in laxitate ſphincteris ani praeternaturali quaerenda eſſe videtur.

Cauſae praediſponenti tribuendam quoque eſſe puto, qaam ex exemplis collegi et obſervavi, quod mala oſſium pubis, veſicae et partium genitalium formatio *ſaepius* in *masculis*, *quam ſemellis* obviam veniat. Contrarium facile opinari poſſit, ſi quis rite perpenderit ſexum ſequiorem a primo iam ſtamine molliori, teneriori, in genere gaudere ſtructura, indeque cauſam ad morbos praediſponentem in feminis valde eſſe adauctam. Alibi ergo hoc in caſu, et duplici quidem ex cauſa argumenta mihi petenda ſunt:

a) Negari

a) l. c. p. 125.

b) l. c. p. 325.

a) Negari non poteſt, quod *a*) viri in arte obſtetricia peritiſſimi identidem experti ſunt, foetum maſculum plus faciliusque, quam femellum in utero materno ab rebus externis poſſe irritari, affici, laedi.

b) In ipſa pelvis femininae ſtructura cauſa latet, quae ad functionem futuram muliebrem, ad ſuperandas in partu moleſtias ac molem iam a prima formatione, firmiori ac ſolidiori compage et robore maiori tolerandi labores praedita eſſe videtur.

c) Arcus ſynchondroſeos oſſium pubis in pelvi feminina ob latitudinem, et plures particulas cartilagineas intermedias, plus impetui facto reſiſtere, ac maiorem ſuperare vim videtur, quam angulus in pelvi virili anguſtior.

§. 27.

Cauſam occaſionalem, inquiſitione inſtituta, ex matre comperiimus, quae tertio narravit, graviditatis menſe ſubito quadam media nocte ſomno ſe excitatam et terrore, incendio in pago ſuo oborto, fuiſſe maximo perfuſam. Ita commota et perterrita auxilii ferendi cauſa accurrens, a coetu hominum magno ſtipata, in tenebris vehementer in regione inferiori pubis offendit ad temonem, e curru prominentem, quo facto, ſtatim in loco percuſſo ſenſit dolores graves et poſt aliquod tempus perdurantes.

 Alia

a) Ill. Stark ſatis ſuperque hoc docuit „in praelectionibus de arte obſtetricia, cui longe plures pueri per abortum editi, quam puellae occurrerunt. Id quod matres quoque bene ſciunt, ſi, ut ſaepius mihi contigit, poſt graves in graviditate ſine foetus detrimento aut abortu, toleratos morbos contendere velint, ſe femellam geſtare, et recte ſaepiſſime ſunt opinatae.

Alia adhuc res, cui mater originem morbi infantilis adſcribendam cenſuit, in promtu eſt, quae, quamquam neque applauſum meretur, neque quidquam huc contulit, tamen praetereunda non eſt, cum ad hiſtoriam explicationis morbi pertineat. Mater narrando ita pergit. Poſthac ſomnium ſe vidiſſe foetum partu editum, in cuius abdomine foramina morſa fuiſſent. — Hinc vero explicare velle morbum, abſurditatem quisque luculenter videt, potius in cauſa priori impetuoſa requieſcendum arbitror, qualem in aliis caſibus quoque fuiſſe apud Cl. Roose *a*) et iſtic auctores collectos legimus. Baillie, Creve, Thomann, cauſam occaſionalem nihil curant.

§. 28.

Sed quaeſtio nunc oritur difficilis, quo modo cauſa iſta occaſionalis in foetum operari, eumque diſformare potuerit? Plerique ſe id certo ſcire negant, quibuscum equidem lubenter conſentio, nihilominus ingenio iuvenili abrepto mihi licitum ſit conari, quousque in explicanda re obſcura pervenire poſſis, limites certe non transſiliendo, viam autem ad has ducentem planam reddendo ac colluſtrando. In magnis voluiſſe ſat eſt!

§. 29.

Num potuit per vim externam corpori matris allatam praeternaturalis hiatus ſynchondroſeos oſſium pubis in foetu oriri? Creve *b*) negat, vix intelligendum eſſe aiens, unde, ſi ſitum foetus in utero et partes circumdatas accuratius perluſtres, talis oſſium ſeiunctio oriatur. Sed, etiamſi ad partes iſtas reſpiciamus, perſuadere mihi hoc non poſſum, plane fieri nequiſſe, quin foetus impetum in corpus matris exter-

num

a) l. c. p. 42.
b) l. c. p. 131.

num factum ſentiret, eoque graviter afficeretur, cum non deſint exempla pedum foetus ab caſu matris claudorum. Quamquam foetus bene ſit munitus liquore amnii, velamentis, utero, integumentis communibus ad leves affectus leneſque offenſiones arcendas: tamen impetui vehementi, qualem hoc in caſu factum audivimus reſiſtendo ſane non ſufficiunt, et hinc foetus reagens tenello corpore ac molli ſynchondroſi pubis per partes concuſſas affici facile potuit. Ultro iam perſpicitur, ſitum embryonis talem fuiſſe, qualis vim eam excipere potuit. Quod quidem fieri potuit

a) Reſpectu ſitus uteri, qui, quum tertio menſe impetus factus eſſet, regionem pelvis inferiorem adhuc occupavit, aut ſaltem in aſcendendo fuit.

b) Reſpectu ſitus foetus, ex factis concludendum eſt regionem pubis ad illam matris ſpectaſſe.

Seiunctionem autem oſſium pubis, veſicae et urethrae impetu iſto factam, tunc mala concomitantia, inverſio veſicae et prava genitalium formatio neceſſario ſequebantur. Si vero aſſumere quis nollet ruptionem integumentorum foetus abdominalium, ſynchondroſeos pubis et veſicae unquam fieri potuiſſe, rem alio modo ſibi fingat, aliamque ponderet explicationem proponendam. Offenſio nempe in foetus regionem pubis facta debilitatem et laxitatem hic effecit, aut iam praediſponentem auxit, ita, ut poſt aliquod tempus, nutritione *a*) partium

a) Ad nutritionem non rite peractam ac morbum hinc augendum ipſe affectus iſte in matre obortus aliquid contuliſſe videtur. Negari enim non poteſt, et ex aliis caſibus analogicis intelligitur, quamquam res explicatu ſit obſcuriſſima, conſenſum quemdam inter partes foetus et eaſdem matris intercedere, quae ſi in matre gravida vehementer afficiantur, ſimul et in foetu mutationes morboſas gignunt. Sic

tium ita debilitatarum perexigua facta, ceteriſque membris foetus creſcentibus et ſe expandentibus, facile ruptio in loco affecto eveniret.

§. 30.

Imaginationi matris foetum aliquid tribuere velle, aut ſomnium iſtud matris, tanquam cauſam, aſſumere, aeque ridiculum eſt, ac illud, quod aliqui auctores in medium protulerunt. Somnium ſi verum eſt, imaginationi quidem matris, veritae, ne pars foetus ab vi externa laeſa ſit, quae laeſa vere fuit, ſerius ſibi per quietem oblatum arbitror.

§. 31.

Sententiae Crevii, morbum iam in primariae formationis vitio poſitum eſſe, adſentire nequeo. Etenim

a) Aperta cauſa et clara adeſt, quae effectum iſtum facile proferre potuit, ergo ad incertas et remotas refugiamus neceſſe non eſt.

b) Adſunt plures caſus ſimiles, in quibus foetus per vim externam laeſus fuit.

c) Aeque hypotheticum eſt ac incertum ovulo ſanae matris aut ſemini robuſti ruſtici aut pravae coniunctioni utriusque mali originem velle adſcribere *a*).

Pro-

Sic varii oriuntur naevi, varii matris gravidae morbi haereditarii. (Vid. Cl. Joseph. Claud. Rougemont, Abhandl. über die erblichen Krankheiten, aus dem Franzöſiſch. von Wegeler, Francof. ad M. 1794. 8.) Nutritioni ergo perverſae, ob partes morboſas non rite perfectae, hoc tribui debet, quae hinc in metaſtaſi quadam, ut ita dicam, particularum partium matris in partes homogeneas foetus earumque cum illis aſſimilatione conſiſtere videtur. Si adſit ergo in matre locus affectus, eadem quoque in foetu translatione particularum affici pars poteſt. Rationem autem explicare, qua hoc fiat, nec ullus poterit, nec ego poſſum.

a) In multis tamen aliis caſibus iam primariam formationem pravam ſtatuendam eſſe, negare neque volo, nec poſſum. Facile enim per impedimenta fortuita fieri

Prognoſis morbi.

§. 32.

Prognoſis mali deſcripti et parentibus, et aegrotae infauſta atque infelix eſt. Triplici autem conſiderari poteſt modo, reſpectu

a) Curationis morbi,

b) Aliorum inde pendentium ſymptomatum plus minus vexantium.

c) Sequelarum ex mala partium genitalium conformatione oriundarum.

Quisque videt, curationem radicalem nunquam eſſe perficiendam, quum cauſae removeri nequeant. Vita tamen et valetudo bona non periclitabuntur, niſi accedant aliae res graves et noxiae.

§. 33.

Nocere poteſt infanti

a) Urinae deſtillatio involuntaria, quae efficit, ut partes vicinae ab acrimonia corrodantur, corroſae doleant et inflammentur, quid? quod ſi vehementior ſiat irritatio, ſenſibilitate aucta, fieri etiam poteſt, ut facile ſpasmi omnis generis oriantur.

b) In-

fieri poteſt, ut ſemen in quamcunque ovuli partem non penetret, vis ergo eius plaſtica ſeu quem veteres calorem plaſticum appellarunt, non omnes partes in vitam vocare ſeu vivificare poſſit, quae tum per vim naturae plaſticam ſeu niſum ab ill. Blumenbach ſic dictum formativum ulterius evolvi ac formari queant. — Omnino allegari ac legi meretur, quod Welge dixit: Ueber die Wirkung der Einbildungskraft der Schwangern auf einzelne Theile ihrer Frucht, in ill. Stark Archiv für die Geburtshülfe Tom. V. part. 3. p. 369 et quod ibi in notis editoris dictum eſt.

b) Ingrata aeris actio in partes ſenſiles, inverſa interna veſicae pariete; Ad affectus enim nervoſos praediſponere poteſt, praeſertim ad hyſteriam et hypochondriam.

c) Inceſſus iſte vacillans et infirmus, qui lapſibus continuis aegrotam ſubmittit, periculum veſicae minantibus.

d) Prolapſus ani augeri et dolorem colicum, tenesmum, incarcerationem inteſtini recti, inflammationem et gangraenam ipſam producere poteſt.

§. 34.

Prava pudendorum conſtitutio aberrationem in functionibus ſexus ſecum ferre oportuit. Labiorum diſtantia, coarcta vagina, coitum non permittunt, qui ſi fieret vi, modo praeternaturali ac imcompleto, quaeritur, an foecundus eſſe poſſit. Erit, ſi genitalia muliebria interna ſana ſint, ſi menſtrua adſint, ſi ſemen utero vere intromittatur. Quod genitalia interna ſalubria eſſe poſſint, laeſis externis, ratio ac experientia probat. Uterus ſolus veriſimiliter obliquus ſeu pronus videtur a peritonaeo, partem poſteriorem veſicae, hic prolapſam, amiciente protruſus.

Menſtrua *a*) tempore pubertatis provenire poſſe, ex priſtinis elucet, forſan et dolorifica propter vaginam coarctatam.

§. 35.

An huic puellae, nubili factae, infenſum fuerit oeſtrum venereum, quaeſtio eſt. Dubitationi locus eſt, donec experientia reſpondeat, neque vero id plane negare nolo, genitalibus internis ſanis.

§. 36.

a) Mulier Berniana usque in annum quadrageſimum menſtruavit. Creve l. c. p. 128. Huxham in femina viginti tres annos nata idem obſervaſſe putandus eſt, propter graviditatem in illa effectam. Roose l. c. p. 30.

§. 36.

Quinam huic aegrotae, gravidae forſan factae, praedicendus ſit exitus, ex partium conſtitutione ſatis colligitur. Tempore graviditatis integumenta abdominis cum veſica coalita aegre dilatabuntur, dolores orientur, quin, ſi nimis firma eſſet concretio, propter impedimentum utero creſcenti factum ad abortum, aut, illo ſuperato, ad novam veſicae ruptionem praedisponere poteſt. Partus ipſe, reſpectu pelvis, que ab oſſibus pubis hiantibus, diametrem obliquam augentibus, amplior facta eſt, celer foret, ſed foramen vaginae anguſtum, tardum, dolorificum, quin impoſſibilem, niſi externa operatio accedat chirurgica *a*), eum reddet.

Curatio morbi.

§. 37.

Cum *indicatio*, ſi curatio radicalis locum habeat, in repoſitione veſicae, in reunione ruptae parietis anterioris veſicae et ſymphyſeos oſſium pubis ac reſtitutione urethrae poſita eſſet: hoc iam fieri non poſſe propter concretionem et malam partium proximarum formationem quisque videt. Forſan in recens nata puella, veſica nondum concreta, ſed libera, et minus prava genitalium conſtitutione, ſperare aliquid licet, ſed prognoſi fere dubia. Unica, quae ab omnibus, cum peritia hunc caſum obſervantibus, adhibita eſt cura palliativa, in noſtro quoque exemplo ſuperfuit, eaque continetur in applicanda apta machina, quae partes ſenſiles tuetur, et urinam colligit.

a) Idquod Roose quoque opinatur. l. c. p. 30. not.

§. 58.

Machinas a Fried, Stolte, Bonn, Lobstein inventas, apud Cl. Roose collectas invenies, qui mutationem et correctionem machinae talis acceptu dignam propoſuit, ſed tantum in maſculis applicari poteſt.

Illuſtris Stark, praeceptor ac fautor venerandus, machinam in puellis, vitio hoc praeditis, applicabilem componi curavit apud H. Goepel, Chirurgum Lipſienſem, quae tum ſimplicitate, tum applicandi facilitate, tum commodis ac emolumentis magnopere ſeſe commendat. Machina deſcribenda capſula eſt aenea *a*), quae a margine ſuperiori convexa latiori ſenſim in partem inferiorem anguſtiorem magisque curvatam abit, ita, ut ſcuto curvato ſeu palae paſtoris ſimilis ſit, quo efficitur, ut non ſolum veſica inverſa, ſed et genitalia bene ſint obtecta. Quae vero capſula ut quacunque parte abdomini aptetur, nec frictio nimia vel excoriatio exoriatur, margines panno ſammetico obductae ſunt. Superficies autem concava interna vernice quadam et ſolutione reſinae elaſticae, ne metallum ab urinae acrimonia corrodatur, illita ac laevigata eſt. In ſuperficie interna partis inferioris curvatae foramen cernitur, per quod urina in infundibulum ſeu tubulum quendam capſulae affixum, ſex lineas longum, defluit, cui meatus trochleae inciſi ſunt ad receptaculum excipiendae urinae deſtinatum, affigendum, et quod inſtar lagenae planae et paullulum compreſſae ex reſina elaſtica, qualis antlias vides lacteas, formatum eſt. Inter femora longe diſtan-

a) Omnibus tamen votis inventoris machina non reſpondit. Nam fuit conſilium ill. Stark, ut, quae obtegat veſicam, capſula, ex tali, qua utitur Cl. Pickel ad peſſaria cet. materie reſinoſa elaſtica, componatur, quum incertum, quod detrimento infanti eſſe poteſt, ſit, utrum urina capſulam aeneam corrodat ac deſtruat, nec ne? Ipſe haec tempore ſuo uberius ac ingenue publice exponet.

diſtantia dependet ſine ullo incommodo, et ſi repletum ab urina collecta et exterſum ſit, tunc retorquetur et evacuatur, quod quidem infans ipſe facile perficere poteſt. Tota autem machina ſuſtinetur et firmatur faſcia quadam molli, craſſa, lana bombycina farcta, quae per anſas lateri utrique capſulae infixas tracta circa corpus et ſupra coxas applicata in inguine globulo fibulatario copulatur.

Sed cum inventore illuſtri ipſo ingenue fateor, emolumentum ex machina, etiamſi perfecta, exoptatiſſimum in aegrotis tam parvulis evenire non videtur, quale in adultioribus vere cernitur; Nam infantes neque machinam applicatam lubenter patiuntur, neque ipſae propter receptaculum dependens bene ingredi diſcunt.

§. 59.

Altera curae palliativae res fuit, ut ſenſibilitas magna veſicae inverſae, ad dolores diſponens, minuatur ac mitigetur, ipſaque facies iſta mollis durior paullulum reddatur. Optimum fructum unguentum e cerato ſaturni et oleo hyperici commixto, ter quaterve per diem ſuperficiei veſicae inverſae illitum attuliſſe viſus eſt.

Additamentum

Accepi modo, paginis prioribus iam typis expreſſis, libellum novum, a Cl. Roose editum: *Phyſiologiſche Unterſuchungen. Braunſchweig* 1796. 8. in quo praeter iſtum a ſe deſcriptum et ſupra laudatum novum in viro quodam ſe obſervaſſe caſum dicit. Sed quum de noſtra quoque audiviſſet puella, quae, ac ſi ex urethere dextro maior effluat urinae copia, ei deſcripta eſt, ſententiam de hac re fert,

cruciatim inſertos uretheres eſſe veſicae, propterea quod in ſuo caſu ex ſiniſtro plus urinae deſtillantis vidiſſet, inde concludens. Interdum quidem, ſi puella oblique ſita fuit, ut inteſtina uretherem dextrum plus irritare ac comprimere poſſent, res ita viſa eſt, ſed accurata et crebra puellae inſpectio me aliosque docuit, ex utroque urethere urinam pari et alternante copia promanaſſe. Uretheres ergo naturaliter inſertos eſſe exiſtimo.

Ceterum de viis clandeſtinis urinae carptim quoque diſſeruit.

THESES.


a
b
d
d
e
e
f
f
g
h
k
k

THESES

I. Morbus ipſe, ſeu quod vulgo eſſentiale morbi appellant, cauſa proxima morbi non eſt.

II. Signa adſunt ad diſcernendam graviditatem veram et ſpuriam.

III. Uretheres ſoli urinam in veſicam urinariam deferunt.

IV. Medicamentis, ex ultimis terrae regionibus nobis allatis, hodie carere non poſſumus.

V. Vacillat diviſio inflammationis in activam et paſſivam.

VI. In operatione hydroceles chirurgica neque methodus cauſtici, neque inciſionis praeferenda eſt.

VII. Conſenſus non, niſi nervis fit.

Tabu-

Tabulae explicatio.

a. Abdomen utrimque propenſum, umbilico carens.

b. Plica transverſalis, a funiculo umbilicali, ibi inſerto et abſciſſo, relicta.

c. Veſica urinaria inverſa et prolapſa.

d. d. Uretheres oblique inſerti papilliformes, quorum ex fiſſura lotium deſtillavit.

e. e. Tumores oblongi adipoſi.

f. f. Labia pudendorum maiora externa diſtenta et retorſa.

g. Orificium vaginae anguſtum.

h. Nodulus membranaceus ex hymene ortus.

i. Orificium ani prorſum factum.

k. k. Femora nimis diſtantia.

W.M.W.
1796.1

Harvard University Library

BEQUEST OF

WILLIAM McMICHAEL WOODWORTH
(Class of 1888)

To the Museum of Comparative Zoölogy.

Deposited in the Library of the Harvard Medical School.

RD
581
H53